

Sapiens. 1. deprecabitur ut sibi dimittatur, sciens quod in maleuolum animam non introeat sapientia, eum & Prover. 8. sapientia summa affirmet: Viam prauam detegor. [Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiae replebit illum:] & hoc vtique: Dominus vult, & intelligentiam tribuit sapienti, ipsum seruidem invocanti, augendo in eo illuminationem supernam, iuxta illud Sapient. 7. Invocaui, & venit in me spiritus sapientiae, & ipse tanquam imbre mitte eloquia sapientie sue: I. alias copiose erudit, & riuos sapientiae influet proximis, gratiam sibi concessam fratribus communicando, iuxta illud Prover. 5. Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide. [Et in oratione confitebitur Dominus] ipsum deum laudando, si cut illud in Psalmo 17. Laudas invocabo dominum: & scipsum humiliter accusando, iuxta illud sancti Iob: Vias meas in conspectu eius arguam, & ipse erit salvator meus. Atque in Psalmo 31. confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino. [Et ipse Dominus] quem invocat, diriget consilium eius, & sapiens sapienter inquirat, & consulat de agendis. [& disciplinam: Id est, scientiam practicam, ut agat secundum eandem: vel disciplinam qua castigat seipsum, ut sit discreta, iuxta illud apostoli Rom. 12. Rationalibus obsequiis vestrum. Hac directione maximè indigemus, quia ut Sapient. 9. legitur: Cogitationes mortaliū timidae, & certae prouidentiae nostrae. Hinc Tobia 4. docetur: Omni tempore benedic Deo, & pete ab eo ut vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant, & in absconditis suis consilabur: Id est, deus cōsilium largitur sapienti in dubijs, & incertis ac arduis, iuxta illud Danielis: Ipse revelat abscondita & profunda, & ipse palam faciet disciplinam doctrinæ sue: Id est, sapiens sic desuper illustratus, alios planè docebit scientiam sibi à Deo concessam, prout Prover. 14. scriptum est: In corde prudentis requiescit sapientia, & indoctos quoque erudit. Et in lege testamenti domini gloriatur. Id est, in consideratione ac completione legis diuinæ, iuxta quod scriptum est super cap. 9. in lege domini sit gloria tua. Et in Psalmo 1. In lege domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. [Collaudabunt multi sapientiam eius,] omnes videlicet boni, qui eam perceperint. & vsque in seculum non delebitur: Id est, sapientia eius iugiter permanebit in corde ipsius & in memoria hominum, nec ipse electus sapientia eius: Non recedet memoria eius:] quia fama eius manet in cordibus hominum, etiam ex defuncto, iuxta illud Prover. 10. Memoria iusti cum laudibus. Nec à Deo obliuioni tradetur, cum scriptum sit: In memoria æterna erit iustus: quod in his qui libros salubres componunt, præcipue adimpletur. Hinc Sapientiam 8. ait vir sapiens: Habebo per hanc immortalitatem, & memoriam æternam his, qui post me futuri sunt, relinquam. [Et nomen eius requiretur à generatione in generationem:] Id est, futuri post eum per successiones generationum, exquirent adiutorium eius, si fuerit canonizatus, & ipsum ad imitandum requirent, & libros intitulatos ab eo, acquirere conabuntur, sicut usque in praesens queritur Hieronymus super Isaiam ceteros prophetas. [Sapientiam eius enarrabunt gentes,] conferendo ea, & allegando eandem, & laudem eius enunciabit Ecclesia: Sicut videmus iam viros sanctos & sapientes in Ecclesiis prædicari, & à fideliū congregationibus invocari. [Si permaneserit nomen eius,] id est, si ipse met nomine designatus, diu in vita hac perseverauerit. [Erelinquet plus quam mille:] id est, valde multos imitatores sua vita atque discipulos sua doctrina: [Et si requieverit,] sicut in moriendo, proderit illi: quia decet eum non peccabit, nec decipiatur, & in refrigerio erit, iamque post Christi passionem ciuitatis pertingit ad gloriam. Hinc legitur Sapient. 4. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius. Consummatum in breui, expedit tempora multa, placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properauerat educere illum de medio iniquitatum. Et rursus: Iustus si morte preoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Adhuc consilabor, id est, intra me tractabo, & per modum cōsulentiū diffiniam, ut enarem mirabilia Dei & laudem ipsius, & ea quæ audientibus extant salubria. [Vt furore enim repletus sum, id est, feruore deotionis & zelui ita loquendi, sic quod in stirpe furentis contineat me nequeo, prout Iob 32. legitur: Plenus sum sermonibus, & coarctat me spiritus veri mei: loquar, & respirabo paululum. Et Ieremias ait: Factus sum quasi vir ebrius à facie domini, & à facie verborum sanctorum eius. Et in voce dicit, id est, spiritus per os meum effatus & admonet, lobaudite] id est, obediendo audite ergo diuini fructus, I. filij ac filiæ Dei adoptiū, & vos virginēs sacræ ac omnes regenerati in spiritu sancto, & quasi rosa plantata super riuos aquarum fructificare: I. sicut roſa iuxta aquas pulchre erumpunt, & dulciter fragrant, sic per spiritualem profectum alijs apparete, suavitatem virtutum diffundite, Christi bonus odor in omnī loco effoste. Hinc sequitur: Quia Libanus odorem suavitatis habet: id est, dulcedinem charitatis internam, refectionem deuorum orationis, fragrantiam castitatis,

Iob 13.

Danie. 2.

Psal. III.

Ibidem

Iere. 32.

1. Cor. 2.

[Flo-